

4. Bibliographie der Schriften

**PRO-RECTOR ACADEMIAE FRIDERICIANAE AVGVSTVS
HERMANNVS FRANCKE, S.S.THEOL.P.P.O.ATQVE
PAROCHIAE VLRIC.PASTOR, VNA CVM RELIQVIS
PROFESSORIBVS, AD ...**

Francke, August Hermann

Halle, 1716

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.


Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)



SALVTEM TVAM EXPECTO, IEHOVAH!



Vis vero suspirium hoc morientis Patriarchæ legat, quæsumus, vel audiat, quin eodem sibi adnitendum, esse intelligat quisque, qui recte sibi cupit in hac anticipi via ac vita lubrica consulere! Vidit senex, in maximis casibus versatissimus, attentus etiam in futura, in tribu Dan fore *serpentem* nota quadam singulari, *ser-*

pentem super via, aspidem super semita, morsurum calcaneos. Quorsum autem in hoc conspectu sese recipit? *Salutem tuam*, ex aduerso ait, *expecto*, Iehouah! Genes. XLIX, 17. 18. erecto sic permanens animo, simulque in confessionis suæ summo articulo ad extremum vsque halitum persistens, afflatus diuino Spiritu.

De singularibus illis casibus Daniticis, vel etiam populis israelitici, agendi locum nullum relinquit hæc pagina: in vniuersum tamen nunc meminimus merito, toti prædictum diuinitus humano generi, de *serpente*, *lesuro calcaneum*; & vicissim de *semine mulieris*, *contrituro caput serpentis*. Gen. 3, 15. Quod oraculum haud dubie in corde habuit Eua, cum dolore primum pariens, ac dicens paulo post: *Possedi virum Iehouah*. Iacobo certe nostro non ignotum, quippe cui post avum & parentem de nouo confirmata fuit promissio *femini*, in quo *benedicturæ sibi sint omnes familiæ terræ*. Atque sic satis constat, ex verbis pro-

msup

);(2

missio.

missionis huius profuxisse ipsum illud vltimum suspirium, ac solatium animæ vnicum. Imo symbolum hoc euasit omnium fidelium, contra omnem aspectum *morsum serpentinorum: salutem tuam, Tuam, inquam, expecto, Iehouah!*

En eandem tesseram, in qua sese sistit nobis senex ille Simeon, *expectans consolationem Israelis*, suscipiens Iesulum in vlnas suas, benedicens Deo, magno pariter animo: *nunc dimittis seruum tuum, Domine, iuxta verbum tuum, in pace*, quia viderunt oculi mei **SALVTARE TVVM**. Luc. 2, 25. 28. 29. 30. non dissimulans tamen in benedictione sua, iacere hunc puerulum in *casum* & resurrectionem multorum in *Israele*, & in signum, cui contradicitur; romphæam quoque ipsius matris animam penetraturam, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. v. 34. 35. Adfuit eadem hora eademque *confessione* Anna prophetissa, loquens de eodem Iesulo omnibus *expectantibus* *λύτρωσιν*, v. 36. 38. quod natus sit nobis *σωτήρ*, qui est Christus Dominus, v. 11. regnaturus super domum *Iacobi* in secula, sicut locutus sit de *σωτηρία* Dominus Deus *Israelis*, benedictus, per os sanctorum suorum *prophetarum a seculo*; præeuntibus scilicet effatis & canticis illis, quæ leguntur Luc. 1, 16. 17. 19. 33. 48. 50. 54. 55. 68. - 71. - 80. Ne dicamus iam de Christi ipsius respectu ad *scalam Iacobæam*, cum Nathanaelem agnosceret *vere Israelitam*, quod se Messiam, de quo Moses scripserit ac Prophetæ, crederet, Ioh. 1, 41. 51. vel de iis, quæ ad fontem *Iacobi* de *σωτηρία* ex Judæis oriunda, certoque verbo affixa, extant Ioh. 4, 5. 6. 12. 22. 25. 26. 42. Aperite declarat Paulus Apostolus, stare se & iudicari propter spem promissionis ad patres factæ a Deo, ad quam *duodecim tribus* populi sui intente noctuque diuque Deo seruientes sperent peruenire. Act. XXVI, 6. 7. 22. XXVIII, 20. 28. Certa etiam ratione huc pertinent verba Davidis vltima de Messia Dei Iacob, & spinis virorum Belial. 2 Sam. XXIII, 1. sq. Item textus librorum V. ac N. T. alii de variis *expectationibus* salutis. Malach. III, 1. sq. Habac. II, 1. sq. Es. XXV, 9. XXVI, 8. XXVII, 1. Mich. VII, 7. 20. IV, 2. 5. V, 1. seq. Luc. III, 6. 7. 15. VII, 19. 20. 1 Petr. I, 10. II. Hæc si conferantur inuicem, faciunt, vt de principali scopo verborum Iacobi, tanquam suspirii sursum tendentis, & tanquam

quam symboli fidei, dubitari amplius nequeat. Et si longe plura loca suppetunt, suauissime consonantia inter medias materias, animum affligentes; quodque iam in cygnea sua cantione Senex cecinerat de leone ex tribu Iuda, de *uenturo* Schiloh, cui sit *adhæ-*
sio populorum. v. 10. Apoc. V, 5. VII, 4. 10. XXI, 12. 4.

Neque mirum videri potest vel debet, quod ex præcipuo hoc verbo promissionis ad totum verbum Dei tam ardentem & libenter, ingenueque ac patienter sese adstringant fideles. Testis esto maximus omnium Psalmus ille CXIX, de verbo Dei. Eminent in eo gemitus de *salute*, Daudico spiritu digni, non sine triumphi spe intelligendi. *Consumpta est erga salutem Tuam anima mea: verbum Tuum expectaui.* v. 81. *Oculi mei consumti sunt erga salutem Tuam, & erga verbum iustitiæ Tuae.* v. 123. *Procul est ab impiis salus, quia statuta tua non querunt.* v. 155. *Expectaui salutem Tuam, Iehouah, & præcepta tua feci. Desideraui salutem Tuam, Iehouah, & lex tua oblectationes meæ.* v. 166. 174. Mouit hic conspectus vel recentissimos interpretes, ut psalmum hunc ex collustratione noui testamenti præcipue exponerent; saluis iis, quæ David cum Iacobo ad temporis sui ærumnas superandas verbis idoneis exprescit, vltiusque adplicandum, inspirante spiritu Christi prophetico, præmonstrauit. Inde liceat multa desumere ad nos in vigore fidei Christianæ confirmandos, pieque inungendos magis magisque. Sed quia veterum Doctorum scripta non ita nostris ad manus sunt, quam esse quidem possint recentiorum libri; nec inusitatum vel iniucundum est, in hoc cohortandi genere adspargere aliquid ex antiquitate ecclesiastica: iam fiat id certo selectu, & in rei ipsius gratiam, ad VOS, o Nostri, excitandos, ex Augustino, Episcopo ardentissimo. Ipse enim in prooemio ad hunc psalmum iustum arbitratur, ut *conuentus ecclesiastici* non fraudentur psalmi huius profundiore intelligentia, cuius, ut aliorum, delectari assolent *cantilena*. Verficulum 18 latine effert: *defecit in salutare tuum anima mea, & in verbum tuum speraui.* Non ait: *defecit a salutare tuo*, sed *in* seu *ad* salutare tuum, indicans *desiderium* boni, avidissime ac vehementissime concupiti. Sed quis hoc dicit, nisi *genus electum*, regale sacerdotium, *gens sancta*, *populus* acquisitionis,

ab origine generis humani usq; ad huius seculi finem, in eis qui
suo quique tempore hic vixerunt, viuunt, victuri sunt, desiderans
Christum? Telle (pergit Augustinus) sanctissimo sene Simeone,
qui cum eum infantem accepisset in manus, dixit: salutare tuum.
Quale autem desiderium fuit in isto sene, tale fuisse credendum
est in omnibus superiorum temporum sanctis. Vnde & ipse Do-
minus discipulis ait: multi prophete & reges voluerunt vide-
re, quae vos videtis, & non viderunt. Nec tunc ergo quieuit hoc
desiderium sanctorum, nec nunc quiescit in Christi corpore, quod
est ecclesia, usque ad terminum seculi, donec veniat desideratus
cunctis gentibus, sicut promittitur per prophetam. Prima ergo
tempora ecclesie ante Virginis partum sanctos habuerunt, qui
desiderarent incarnationis eius aduentum: ista vero tempora,
ex quo ascendit in caelum, sanctos habent, qui desiderant eius
manifestationem ad viuos & mortuos iudicandos. Neque hoc ec-
clesie desiderium ab initio usque in finem seculi requieuit ali-
quantum, nisi quamdiu hic cum discipulis in carne versatus est.
Vt totius corporis Christi in hac vita gementis vox conuenien-
ter intelligatur: defecit IN salutare tuum anima mea, & in
verbum tuum speravi, hoc est, exponit porro Augustinus,
in promissum; quae spes facit, ut per patientiam expectetur,
quod a credentibus non videtur. Felix ille defecit, non veni-
ens ex infirmitate animi, sed ex fortitudine desiderii in pro-
missum Dei. Ardentibus autem spiritualibus desideriis carnalia
desideria sine dubitatione frigescent, ut sint promissionis filii se-
men Abrahae, in quo benedicuntur omnes gentes sub huius mor-
talitatis miseria, in qua iugum graue super filios Adam, a
die exitus de ventre matris eorum. Ipse est, ad quem con-
uertuntur, qui factus est particeps mortalitatis nostrae, ut &
nos participes diuinitatis ipsius fieremus. Nos vnus parti-
cipes ad vitam; ad mortem vero particeps ipse multorum.
Neminem, credimus, ex Lectoribus offendet haec interpretis
ampliatio, qua etiam ad v. 123. vtitur, sed brevius ob iam praemissa;
& ad v. 126. de tempore faciendi, ex Gal. 4, 4. 2 Cor. 6,
2. Rom. 5, 20. 14. sq. Ad v. 130. de paruulis ad gratiam confu-
gentibus in ipso intelligendi desiderio. Rursus ad v. 174. Et-
iam

iam nolentibus omnibus inimicis (Luc. I. 71.) salutare Dei nobis
Christus occurrat. Ipsum se concupisse iusti antiqui veracis-
sime confitentur. Ipsum concupiuit ecclesia venturum de vi-
sceribus matris. Ipsum concupiscit ecclesia venturum a dex-
tera Patris. Sed in hac fide, cum corde creditur ad iustitiam,
ore autem confessio fit ad salutem; fremant gentes, populi
meditentur inania. Iudicia quippe illa sunt, quæ tempus
erat, ut inciperent a domo Domini. Sane in tota explica-
tione huius Psalmi longissimi cum sensu gaudii in Domino
certat mirum in modum profundissima humilitas, coram
abundantia scilicet deuotionis Dauidicæ; exserente se totius
ac ipsius Verbi Dominici efficacia in omni suo ambitu. Diu,
præfatur Augustinus, petentibus iubentibusque fraatribus, ut
exponerem hunc psalmum, non cessi. Quamvis enim videtur
psalmus apertior, tanto mihi profundior videri solet; ita et-
iam, ut quam sit profundus, demonstrare non possem. Con-
cludit vero his verbis: Exposui, ut potui, quantum a Domi-
no adiuuus sum. Quod profecto melius sapientiores doctio-
resque fecerunt, siue facturi sunt: nec ideo tamen ei nostrum
desse debuit ministerium, maxime id de me flagitantibus
fraatribus, quibus sum debitor huius officii.

Fatemur, habere speciem aliquam digressionis ea, quæ
iam subiunximus: certi tamen sumus, omnia bene conuenire
rebus Dauidicis, quarum basis omnino est verbum promis-
sionis de Messia, & respectus ad regnum Messiae spirituale.
Imo fatemur & hoc, quod casu quidem inciderimus in ve-
terem hanc Psalmi CXIX. expositionem, statim vero con-
sultum duxerimus, uti hac occasione ad commendandum in-
tegrum Verbum Dei pro Vestro discentium ordine. Nihil
enim in hoc psalmo magis abundat, quam ut ad discenda sa-
lutaria verasque intelligentiæ vias exsuscitemur omnes;
nobis certe non exclusis. Audite adhuc, quomodo Augu-
stinus proponat v. 65. 66. *Suauitatem fecisti cum seruo tuo,
Domine, secundum eloquium tuum. Suauitatem, & erudi-
tionem, & scientiam doce me, quoniam mandatis tuis credi-
di.* Græcus, eodem obseruante, ait *χρησθήσεται*, ut suauitas in

bo-

M. DCC. XLV.

1791. Chr. Henckell. 4. 1791.

bonis *spiritualibus* deputetur. Quando enim delectat bonum, magnum est Dei donum, pergente nostro. Quando autem fit timore pœnæ, seruiliter fit, non liberaliter. *Filius* autem manet in æternum, non seruus. *Suauiatem* itaque fecisti cum seruo tuo, Domine, faciendo *filium*, qui seruus fuit; secundum eloquium tuum, hoc est, secundum *promissum* tuum; ut secundum fidem firma sit promissio omni semini. Addidit autem: & *eruditionem*, quam Græci appellant *παιδείαν*, ubi intelligenda est *per molestias eruditio*. Cum quo ergo facit Deus *suauiatem*, id est, cui *propitiis inspirat* boni delectationem, profecto instanter orare debet, ut eum doceat suauiatem, tantam utique, ut disciplinam possit patientissime sustinere. Cum ergo tanta fuerit *caritas* in bonitate suavi, ut tribulationibus non possit extinguī, quas adhibet disciplina: tunc utilis erit scientia, qua innotescit etiam sibi. *Docet* Deus suauiatem, inspirando delectationem, *docet* disciplinam, temperando tribulationem, *docet* scientiam, insinuando cognitionem. *Quia* itaque credidi, tua esse mandata, Domine, ipsa fides mea, qua id credidi, impetret abs te gratiam, qua faciam, quod mandasti. Annon vel hoc in specimine ostenditur recta proficiendi via? tamen si *stilus Auctoris* non nihil habet de suo tempore. Si quis autem totam expositionem possit peruoluere, ne quando circa modos interpretandi hæsitet, huic succurret *institutio peculiaris*, collecta ex Augustini libris *de doctrina Christiana*, Halæ A. MDCXCV. edita.

Dicta hæc sunt iterum nonnisi in rei ipsius gratiam. Secundum hanc, quid e re Vestra sit, prospicite, ut acquiratis solida huius vitæ fulcra, atque habeatis etiam, cum hora ultima venerit, quo liceat confidere: nec apud aliquos pereat, quod forte & ex parte habuerunt. Nostis, Deum esse colendum, quo se reuelauit, modo. Audite ergo ac legite Verbum Dei, implorato bono Dei Spiritu, nec sacra vel vestra vel aliorum turbate vllō modo, siue priuatim siue publice. Habete temporis, quod pretiosum est, rationem attentissimam; nec egea Christi membra despiciate. P. P. in

Acad. Fridericiana Natali τῆς Σωτηρίας,

M. DCC. XVI,

Typis Chr. Henckelii, Acad. Typ.